1452

# DE PATRIARCHARUM CONSTANTINOPOLITANORUM CATALOGIS

ET DE

## CHRONOLOGIA OCTO PRIMORUM PATRIARCHARUM.

ACCEDUNT EIUSMODI CATALOGI DUO ADHUC NON EDITI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

**FRANCISCUS FISCHER,**

SAXOALTENBURGENSIS.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXIV.

SISMANOGLIO

# I. De episcoporum et patriarcharum Constantinopolitanorum catalogis.

## § 1. De catalogorum generibus.

Episcoporum et patriarcharum Constantinopolitanorum catalogi exstant multi neque ei eisdem temporibus scripti, quare non eundem patriarcham exhibent ultimum, nec forma omnes eadem compositi sunt, sed genera eorum quinque distingui possunt haec:

1. Nomina tantum patriarcharum afferuntur et spatia regiminis.[1])

2. Cum plerumque tantummodo nomina et spatia regiminis legantur, apud nonnullos brevia exstant vel de facto quodam insigni vel de fide additamenta.[2])

3. Nomina exstant et anni: praeterea autem notae plerumque de dignitatibus ante patriarchatum Constantinopolitanum obtentis, saepe vel de fide vel de imperatore, sub quo aliquis patriarchatu functus est, vel de vitae exitu additae sunt.[3])

4. Nomina tantum exhibentur et hic illic additamenta vel de fide vel de patria brevissima. Hi autem catalogi versibus politicis duodenarum syllabarum compositi sunt.[4])

1) Φλαβιανός μῆνας η'.
Ἀνατόλιος ἔτη η'.
Γεννάδιος ἔτη ιγ'.

2) Φλαβιανὸς ὁ καθελὼν Διόσκορον ἔτη β'.
Ἀνατόλιος ὁ ἐν Χαλκηδόνι ἔτη θ'.
Γεννάδιος ἔτη ιε'.
οὗτος κατὰ τῶν κεφαλαίων τοῦ
ἁγίου Κυρίλλου συνεγράψατο.

3) Φλαβιανὸς πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως ἔτος α' μῆνας ι'.
Τούτου φονευθέντος παρὰ τοῦ δυσσεβοῦς Διοσκόρου
Ἀνατόλιος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος τῆς ἐκκλησίας Ἀλεξανδρείας χειροτονεῖται καὶ ἄρχει ἔτη η' μῆνας η'.
Γεννάδιος πρεσβύτερος Κωνσταντινουπόλεως ἔτη ιγ' μῆνας γ'.

4) ὁ Φλαβιανός, Ἀνατόλιος θύτης,
ὁ Γεννάδιος ἀνδρικὸς καὶ γεννάδας.

5. Exstat eadem compositio rhythmica, sed additamenta multo copiosiora sunt et similia iis, quae exhibent tertii generis catalogi. Anni ne hic quidem afferuntur.[1])

Omnes autem catalogi qui mihi innotuerunt Graeca lingua confecti sunt.

## § 2. De singulorum generum catalogis qui exstant.

A. Primi generis catalogus habetur unus, editus in Philippi Labbei Protreptici ad historiam Byzantinam p. 18 sqq. ed. Ven. 35 sqq. ed. Par. Exscriptus est e codice Parisino collegii Claromontani societatis Iesu et patriarchas exhibet inde a Stachy[2]), primo eorum, usque ad Iosephum alterum (ordin. ao. 1416).

B. Ex altero etiam genere unum tantum catalogum novi, qui exstat in chronographio compendiario, quod notis Alfredi de Gutschmid instructum Eusebii chronicorum editioni ab Alfredo Schoene subiunctum est.[3]) Primus autem hoc opusculum ex codice Columnensi nunc Vaticano membraneo saec. XI notae optimae edidit Angelus Maius in Scriptorum veterum novae collectionis tom. I. part. II. p. 1—40.[4]) Hunc codicem Benedictus Niese in Vaticana bibliotheca quaesivit, sed ne vestigium quidem eius reperiri potuit, quare Schoenio in Maii editione fideliter repetenda requiescendum erat.[5]) Continentur autem chronographio inter alia patriarchae

1) *Ὀρθῶν πρόμαχος Φλαβιανὸς δογμάτων,*
*πρεσβύτερος τρόφιμος ὢν ἐκκλησίας,*
*προεδρίαν εἴληφε μαλ' ἐπαξίως.*
*Οὗπερ θανόντος λακτίσει Διοσκόρου*
*ἐν Ἐφεσίων ληστρικῷ συνεδρίῳ*
*ὡς ὑπερασπίζοντος ὀρθῶν δογμάτων*
*θύτης Ἀνατόλιος Ἀλεξανδρείας*
*ποιμὴν ἀναδέδεικτο τῆς Κωνσταντίνου,*
*νομεὺς ἀγαθός, πύργος ὀρθοδοξίας,*
*ἐφ' οὗ τετάρτης συνόδου θεῖον στῖφος*
*καλῶς ἁλισθὲν ἐν πόλει Χαλκηδόνι*
*ἀλλότριον τίθησι τῆς ἐκκλησίας*
*Διόσκορον δύστηνον Ἀλεξανδρείας*
*ἁμ' Εὐτυχεῖ τε καὶ σφίσιν ὁμοτρόποις.*
*Ἔπειτα Γεννάδιος, ἀνὴρ γεννάδας,*
*τῆς εὐσεβείας καὶ καλοῦ παντὸς τύπος*
*ἐκκλησίας τρόφιμος ἅμα καὶ θύτης*
*τοὺς οἴακας ἴθυνε τῆς ἐκκλησίας.*

2) Apud hunc solum copiosius narratur: *Στάχυς ἐκ τῶν ο', ὃν ἐχειροτόνησεν Ἀνδρέας ὁ ἀπόστολος τῆς Θρᾴκης ἐπίσκοπον.* 3) Append. IV. p. 59—101. 4) Cf. Ang. Maii praef. p. XVII. 5) Cf. A. Schoene, Euseb. chron. I. praef. p. XIV.



sedium quinque apostolicarum, quorum ultimum locum obtinent patriarchae Constantinopolitani inde a Metrophane usque ad Methodium (ordin. ao. 842).

C. Tertium genus plerosque catalogos complectitur. Atque ex iis quinque, de quibus tres iam antea editi erant, collegit atque Graece et Latine edidit Anselmus Bandurius in Imperii Orientalis tom. I. part. III. p. 161 sqq. V. 187 sqq. P. Sunt autem hi:

1. Catalogus episcoporum ac patriarcharum Constantinopolitanorum desumptus ex chronographia compendiaria Nicephori patriarchae Constantinopolitani, quae habetur in codice Parisino Regio ol. 2508[1]), nunc 1320.[2]) Hunc catalogum primus edidit Bandurius. Cum enim chronographiae Nicephori compendiariae duo exstent librorum genera, quorum in altero brevius, in altero copiosius narratur, omnes Nicephori editores et Anastasius interpres libros secuti sunt copiosiores et quod editio Bandurii, qui Nicephorum se editurum esse promiserat, lucem non vidit[3]), primus Carolus de Boor in editione Nicephori duo codicum genera distinxit, alterius generis textum textui alterius apposuit disseruitque de ratione inter duas recensiones intercedenti. Chronographiam autem breviorem ab ipso Nicephoro compositam, alteram paulo post, ao. circiter 850, fortasse Hierosolymis, auctam et multis locis mutatam esse satis multis probavit argumentis.[4]) Differunt inter se catalogorum priores partes inde a primo episcopo ad Nectarium usque, a quo patriarcha eundem fere textum exhibent[5]): continentur autem in omnibus libris mss. praeter unum[6]) episcopi usque ad Ignatium eunuchum (ordin. ao. 846).

2. Nicephori Callisti Xanthopuli nova enarratio de episcopis Byzantinis et patriarchis omnibus Constantinopolitanis.[7]) Hic quoque catalogus a Bandurio primo editus est ex codice saec. XIV. Paris. Reg. ol. 3502, nunc 1630[8]) ac multis locis ex aliis catalogis suppletus, quae supplementa ille uncis inclusit. Exhibentur

1) Band. l. c. I. praef. p. XIII V. X P. II. p. 613 V. 873 P. 2) Niceph. ed. de Boor, praef. p. XXXVIII. Cf. catalog. cod. mss. bibl. Reg. Paris. II. p. 287. 3) Fabric. bibl. Gr. VII. p. 603. 610 ed. Harl. 4) Niceph. ed. de Boor, praef. p. XXXI sqq. 5) Tribus locis catalogus tractatus additamenta brevissima exhibet; cf. Niceph. p. 118. 6) Codex Oxon. Auct. F. 6, 26 praeterea Photium et Stephanum habet. Cf. Niceph. p. 120. De codd. ceteris cf. praef. p. XLI sqq. 7) Band. l. c. I. p. 164 sqq. V. 191 sqq. P. 8) De hoc codice exeso et saepe difficili lectu cf. Band. l. c. I. praef. p. XIV V. X P. II. p. 614 V. 875 P. — Cf. catal. bibl. Reg. II. p. 376.

episcopi inde a primo eorum usque ad Athanasium I. restitutum (ao. 1304). Hunc eundem catalogum exhiberi existimo in cod. Barocciano 59 bibliothecae Bodleianae.[1])

3. Catalogus patriarcharum Constantinopolitanorum depromptus ex Iure Graecoromano Ioannis Leunclavii[2]), cuius editionem curavit Marquardus Freherus Francofurti 1596.[3]) Unde autem Leunclavius catalogum sumpserit, neque in textu huius operis neque in praefatione docemur. Sed cum initium capiat catalogus a Stachy et deductus sit usque ad Iosephum abbatem Galesii (ordin. ao. 1268), verisimile est eum exscriptum esse ex cod. Bibl. publ. Par. 1355, ubi habetur sub no. 29 catalogus episcoporum Constantinopolitanorum ab Andrea apostolo ad Iosephum usque deductus.[4])

4. Catalogus exscriptus ex Nova variarum historiarum synopsi Matthaei Cigala[5]), episcopos enumerans inde a Stachy usque ad Neophytum (ordin. ao. 1636). Hunc librum admodum rarum editum lingua Graeca vulgari Venetis ao. 1637 ut inspicerem mihi non contigit.

5. Philippi Cyprii magnae ecclesiae protonotarii chronicum, quod continet catalogum patriarcharum et ex variis libris chronicis exscriptum est.[6]) Hunc libellum primus edidit Graece et Latine ex codice ms. Constantinopolitano Nicolaus Blanquardus Franequerae ao. 1679 et post eum Latine cum commentario et notis Henricus Hilarius rector Cellerfeldensis, Lipsiae et Francofurti ao. 1687. Exhibentur autem patriarchae inde a Stachy usque ad Parthenium (ordin. ao. 1639).

Hos igitur quinque catalogos Bandurius collegit et edidit.

6. Series viginti unius episcoporum inde a Stachy ad Metrophanem usque exstat in Dorothei episcopi Tyri syngrammate ecclesiastico a Procopio presbytero recensito inter commentarios de septuaginta et de duodecim Christi discipulis. Hoc opusculum typis expressum cum alibi habetur tum ex duobus codd. Regiis inter Cangii Selecta ad illustrationem chronici paschalis.[7]) Hunc catalogum etiam Nicephorus Callistus in historiam suam ecclesi-

1) Catal. libb. mss. Angl. et Hib. I. p. 7: cod. Barocc. LIX . . . . . . Nicephori Callisti chronologia patriarcharum Constantinopolitanorum CXIV. Postremus est Athanasius. 2) Band. l. c. praef. p. XIV V. XI P. p. 171 V. 201 P. 3) p. 296 sqq. 4) Cf. Catal. Bibl. Reg. Par. II. p. 303. 5) Band. praef. p. XV V. XI P. p. 178 sqq. V. 209 sqq. P. 6) Band. praef. l. c. p. 185 sqq. V. 217 sqq. P. 7) Chr. pasch. ed. Bonn. II. p. 120 sqq.



asticam recepit, ubi exstat in lib. VIII cap. 6.[1]) Sed de hoc opusculo fusius infra agemus.

Praeter hos catalogos tertii generis iam editos alii exstant, qui typis nondum expressi sunt.

7. Ac primum quidem in Aug. Bibl. Caes. Vindob. cod. ms. Theol. Graec. N. CCCII. ap. Lamb. 34, qui est membranaceus, pervetustus, optimae notae in quarto constatque foliis 368[2]), catalogus eiusmodi habetur in fol. 356 r — 358 v, cui antecedunt praeter alia scripta laterculi episcoporum Romanorum Alexandrinorum Antiochenorum Hierosolymitanorum. Hunc catalogum, quem Lambecius in Supplemento Corporis historiae Byzantinae ex Bibl. Caes. separatim edendo se publicaturum promisit, quod promissum non praestitit, postquam administratores Bibl. Caes. qua sunt liberalitate codicem Ienam miserunt, ut apographum facere possem, in altera huius libelli parte in publicum edam. Enumerantur autem episcopi inde a Stachy ad Ioannem usque Xiphilinum (ordin. ao. 1063), cum tamen inscriptio haec sit: *Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἱεραρχῶν ἤτοι ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ πατριαρχῶν ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μέχρι τοῦ Νικολάου.* (Vind. A).

8. Alius catalogus antecedenti simillimus, plerumque paulo copiosior nonnumquam brevior habetur in eiusdem bibl. cod. ms. Theol. Graec. N. XL. ap. Lamb. 77, qui est chartaceus et optimae notae[3]) in folio constatque nunc foliis 269, in fol. 266 v — 269 v. Libellum sequitur, qui inscribitur *Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου . . . σύνοψις εἰς τοὺς βίους καὶ τὰ τέλη τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν προφητῶν*, et hanc inscriptionem habet: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ᾽ ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ᾽ ἡμῶν.* Hunc etiam catalogum, quem ipsum Lambecius in opere supra memorato edere constituit neque tamen edidit, postquam Henricus Gelzer apographum a se ex codice factum benignissime mihi concessit, infra publicabo, sed ita, ut ea, quibus cum anteriore conveniat, omittam varietatesque tantum scripturae infra illius textum apponam. Continentur autem hoc catalogo episcopi inde a Stachy usque ad Cosmam Hierosolymitanum, qui patriarchatu se abdicavit ao. 1081. (Vind. B.) Ceterum hic

1) Ed. Frontonis Ducaei Paris. 1630, I. p. 540 sq. 2) Cf. Lamb. comm. de bibl. Caes. III. p. 48. 55. H. Gelzer in libello, qui propediem de Dorotheo edetur. 3) Cf. Lamb. l. c. III. p. 152. 174. H. Gelzer l. c.

uterque catalogus multis locis de singulis patriarchis plura exhibet quam omnes reliqui.

9. Denique alius catalogus typis nondum expressus, qui breviore forma compositus tamen tertio generi adnumerari potest, exhibetur in eiusdem bibl. cod. ms. Hist. Graec. N. LXXVI, quem ipsum bibliothecae administratores summa cum liberalitate huc miserunt. De hoc codice apud Lambecium non commemorato agit A. F. Kollarius in Supplementis ad Lambecii commentarios compositis.[1]) Est codex forma folii quarti, foliorum 138. Catalogus exhibetur in fol. 136 r — 138 v et inscriptus est: *Ταῦτά εἰσιν τα ὀνόματα τῶν γενομένων πατριαρχῶν ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἀπὸ Κωνσταντίνου τοῦ πρώτου χριστιανῶν βασιλέως καὶ πόσα ἔτη ὁ καθέκαστος αὐτῶν ἱεράτευσεν.* Primus patriarcha est Metrophanes, ultimi sunt Theophylactus et Polyeuctus (ordin. 956) apud quos annorum numerus non additus est. (Vind. C.) Chronicum, quod „humili admodum, immo populari recentium Graecorum sermone scriptum" in 133 foliis exstat et de quo pluribus agit Kollarius, cum accuratius inspicerem, ab auctore satis recenti et misello ex Theophanis chronographia consarcinatum esse cognovi.

D. Quarto generi unum exemplar adnumerandum est, cuius habentur tres recensiones. Harum prima exstat in Labbei Protrept. p. 18 sqq. V. 35 sqq. P, exscripta ex cod. Paris. Regio, cuius numerum ille non affert, sed qui est 1637, ubi sub no. 3 est Theodori Prodromi catalogus patriarcharum CPorum a Metrophane ad Callistum, cui antecedit eiusdem auctoris catalogus imperatorum CPorum a Constantino M. ad Andronicum seniorem versibus politicis trimetris compositus.[2]) Altera recensio est in codice, quo. Io. Langus usus est, de quo nihil compertum habeo[3]), tertia in Reg. Bibl. Monac. cod. 48. fol. 415.[4]) Illi duo autem a Metrophane incipientes usque ad versum *Νήφων Κυζίκου καὶ γλυκὺς Ἰωάννης* eundem fere textum exhibent, deinde autem inter se discrepant et praeterea cod. Reg. habet post Ioannem quinque patriarchas usque ad Callistum

1) p. 763 sqq. Est cod. CXXXV; in primi cod. folii parte inferiore scriptum est: Kollarii Supplem. Cod. CXXVIII, quibus verbis alia manus plumbo addidit: = 135. 2) Cf. Catal. bibl. Reg. Par. II. p. 380. 3) Cf. Io. Langi Cyri Theodori Prodromi epigrammata, Basil. 1536, ubi in calce exstat *Νικηφόρου πόνημα τοῦ Ξανθοπούλου γραφικῆς πάσης σύνοψις ἠκριβωμένη*, in qua habetur patriarcharum metricus catalogus. 4) Cf Elect. Bibl. Mon. codd. Graec. rec. et not. illustr. ab. Ign. Hardt in „Beyträge zur Gesch. u. Litt. der Pfalzbayer. Centralbibl. zu München", ed. de Aretin, vol. I.



(ordin. 1350), Langi autem codex sex usque ad Philotheum (ordin. 1354). Ultimi versus sunt hi:

cod. Reg. 1637: . . . . . . *γλυκὺς Ἰωάννης,*
*γέρας μοναστῶν Γεράσιμος Μαγκάλων,*
*Ἠσαΐας ἄριστος ἐξ ὄρους Ἄθω.*
*ὁ κακοδαίμων Καλέκας Ἰωάννης.*
*Ἰσίδωρος ἅγιος ἐκ Θετταλίας,*
*φερωνύμως Κάλλιστος ἔνθεος τρόπους.*

cod. Langi: . . . . . . . . *γλυκὺς Ἰωάννης*
*καὶ Γεράσιμος μαγκάνων, Ἠσαΐας,*
*ἀκινδυνόφρων δυσσεβὴς Ἰωάννης,*
*ὁ θεῖος Ἰσίδωρος εὐσεβῶν κλέος,*
*Κάλλιστος ὁ κράτιστος ἐξ ἡσυχίας,*
*Φιλόθεος φερωνύμως Θεῷ φίλος.*

In Monacensi autem, ubi imperii anni et synodi ascripta sunt, idem Metrophanes initium capit, ultimus autem est Esaïas et ultima verba sunt: *Ἠσαΐας αὖθίς τε πέλων ἐξ ὄρους.* Alias etiam differentias a Labbei catalogo se invenisse Ign. Hardt affert: in fine autem notatur: *Καὶ τοῦτο ἐξισώθη τῷ ἑαυτοῦ πρωτοτύπῳ, ὃ οὐκ εἶχεν λίαν ὀρθῶς.*

Secundum Bandurium[1]) carmen iambicum de patriarchis CPanis exstat in cod. Med. Florent. 16 num. 21 plut. 87, cuius initium est: *Καὶ πατριάρχας τῆς νέας Ῥώμης βλέπε*, et finis: *φερωνύμως Κάλλιστος ἔνθεος τρόπους*, quo versu etiam Labbei catalogus concluditur. Sed in codice post versum *ὁ κάκος Ἀκάκιος κτλ.* versus subicitur *σὺν Εὐφημίῳ Μακεδονίου κλέος*, item post versum *πάλιν ὁ Πύρρος κτλ.* alius occurrit *Θωμᾶς ὁ λαμπρὸς, δυστυχὴς Ἰωάννης*, denique post versum *χάρις θεοπρόβλητος κτλ.* legitur *ὁ Ἀγαπητὸς τοὐπίκλην Ἰωάννης*, qui in Labbei catalogo desiderantur, exstant apud Langum. Utrum hi versus in Labbei codice desint an eius vel librariorum incuria interciderint nescio: Labbei autem recensionem eandem esse atque Mediceam vel ex ultimis verbis concludendum est.

Quarto generi et fortasse uni ex recensionibus commemoratis praeterea hi catalogi accedunt:

1. In cod. bibl. Reg. Par. 532 sub no. 34 est Nicephori Callisti catalogus imperatorum et patriarcharum CPorum iam pridem editus.

1) Catal. bibl. Laur. I. p. 399.

2. In eiusdem bibl. cod. 1303 est sub no. 13 catalogus patriarcharum CPorum versibus iambicis.

3. Sub eiusdem bibl. cod. 1726 no. 3 auctor catalogi libb. mss. haec affert: Codini de officiis capita duodecim. Index praefixus addit caput decimum tertium, cuius priore parte exhibetur catalogus chronologicus et historicus imperatorum a Constantino M. ad Constantinum Palaeologum, altera patriarcharum CPorum a Metrophane ad Esaïam nomenclatio versibus iambicis Graeca lingua vulgari scriptis. An Codinus capitis illius auctor sit dubitari potest. — Hanc recensionem eandem atque Monacensem esse verisimile est.

4. In eiusdem bibl. cod. 1783 sub no. 6 est catalogus patriarcharum CPorum a Metrophane ad Iosephum usque, qui concilio Florentino (ao. 1439) interfuit. Hic idem codex est, de quo (tum no. 3058. 4) in Imp. Or. part. I. praef. p. VI P. dicit Bandurius, qui versibus iambicis eum scriptum esse addit.

5. In eiusd. bibl. cod. 1785 sub no. 4 est catalogus ad Dionysium usque Heracleensem deductus, ab auctore anonymo versibus politicis conscriptus.

6. In bibl. Reg. Neapol. cod. 19 habetur series imperatorum et patriarcharum CPorum versibus iambicis et antecedunt Nicephori Callisti Xanthopuli festa sanctorum per annum versibus iambicis.[1])

E. Quinto denique generi unus catalogus adnumerandus est, qui exstat in Ephraemii monachi recensu imperatorum et patriarcharum[2]), iambico metro eodem quo antecedentes diligenter compositus. Ephraemii librum primus Angelus Maius, postquam ante eum Leo Allatius fragmenta tantum libris suis inseruit, ex unico cod. Vatic. 1003 in fronte mutilo edidit, cuius editionem recognovit Imm. Bekker. Continet catalogus episcopos inde a Stachy usque ad Esaïam (obiit 1333).

Addere hic liceat eos catalogos, qui mihi innotuerunt de quibusque nihil afferre possum nisi quae in bibliothecarum catalogis leguntur, ita ut ne dicere quidem possim, cui generi adnumerandi sint. Sunt autem hi:

1. Florentiae in bibl. Laur. Med. cod. 13 num. 23 plut. 59 in pag. 162—165 exstat catalogus patriarcharum Hiersolymitanorum Antiochenorum Alexandrinorum Romanorum CPorum.[3])

2. Neapoli in bibl. Reg. cod. 167 sunt anni episcoporum et patr. ecclesiae CPae Rom. Hieros. Alex. Ant.[4])

1) V. catal. libb. mss. bibl. Reg. Neap. ap. Fabric. VI. p. 775 H. 2) Ed. Bonn. p. 383—417, vv. 9565—10392. 3) Cf. Band II. p. 521. 4) Cf. catal. libb. msc. ap. Fabr. l. c.



3. Parisiis in bibl. publ. est in cod. 532 anonymi catalogus patr. CPorum ab Andrea apostolo ad Lucam usque Chrysobergem productus (ob. 1169).

4. In eiusdem bibl. cod. 1356 sub no. 14 est series chronologica regum, prophetarum, imperatorum, item pontificum Romanorum et patriarcharum ecclesiae Orientalis.

5. In eiusdem bibl. cod. 1555 A exstat sub no. 7 catalogus patriarcharum, metropolitarum et autocephalorum.

6. In eiusdem bibl. cod. 1784 sub 5—9 sunt catalogi patr. Rom. (ultimus Honorius) Hieros. (u. Modestus) Alex. (u. Petrus) Ant. (u. Anastasius Sinaïta) Const. (u. Esaïas). Hic idem catalogus exhiberi videtur in bibl. Coislin. cod. 120 foll. 244 v sqq., ubi pro Esaïa ultimus est Nicolaus II.

7. In eiusdem bibl. Coisl. cod. 2087 sub no. 4 est catalogus patr. Const., quorum ultimus est Leo Stypes.

8. Ibidem in bibl. Coisl. cod. 234 fol. 376 est catalogus episc. Byzantii a Christo ad Constantinum M. et patr. Const. a Const. M., qui mutilus videtur esse uno folio.

9. Oxoniae in cod. Barocc. 142 num. 23 est catalogus episc. Const., inde a fol. 288. Exhibet post Photium circiter quadraginta episcopos usque ad tempora Ioannis Ducae.[1])

10. Augustae Vindelicorum in codice, de quo dicit Reiser in catal. p. 80, exstat catalogus episc. Const. Rom. Hier. Ant. Alex.

## § 3. De Dorothei catalogo.

Omnes catalogos quos enumeravi si inter se comparabimus, praeter compositionis differentias aliud discrimen nobis occurret. Plerique enim catalogi episcopos exhibent inde a Stachy, quem ab Andrea apostolo episcopum Argyropolis institutum esse narrant, tres contra seriem episcoporum incipiunt inde a Metrophane.[2]) Seriem autem inde a Stachy usque ad Metrophanem exstare inter Dorothei episcopi Tyri opuscula a Procopio presbytero recensita supra iam attuli.[3]) Viri autem docti, cum apud alios auctores Metrophanes primus Byzantii episcopus nominetur, brevem illum catalogum esse ficticium iamdudum animadverterunt. Ac de Dorotheo et eius libello pluribus agit Henricus Gelzer.[4]) Qui primum quidem cum Caveo et Cangio Dorotheum episcopum unquam vixisse negat. Deinde de opusculo illo verba faciens duas exstare recensiones dicit, quarum

1) V. catal. libb. mss. Angl. et Hib. I. p. 18. 2) Catal. chron. comp.; Labb., Langi, Monac. catal. metr.; Vind. C. 3) p. 268. 4) In libello, quem edet de Dorotheo propediem.



SISMANOGLIO

altera inscribatur *Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου κτλ. σύνοψις εἰς τοὺς βίους καὶ τὰ τέλη τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν*, altera autem *σύγγραμμα ἐκκλησιαστικὸν Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου κτλ.* In hac autem recensione series illa episcoporum exhibetur, etsi in prologo non commemoratur, ubi legitur: *οὗτος τοίνυν ὁ μέγας πρεσβύτης καὶ συγγράμματα ἡμῖν ἐκκλησιαστικὰ καταλέλοιπεν, ἐν οἷς καὶ περὶ τῶν ο' μαθητῶν τοῦ σωτῆρος ἱστόρησεν, καὶ ἔνθα ὁ καθεὶς τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων τὸν βίον ἐτέλεσεν. Ἐν πρώτοις μὲν οὖν τοὺς ο' ἐκείνους εἶναι λέγει.* Cum praeterea in contextu complura inveniantur, quae in prologo non indicata sint, Gelzer prologum a redactore ex alia priore recensione petitum esse dicit et illam recensionem, quae inscribatur *σύνοψις κτλ.* et exstet nunc in solo cod. Vindob. Caes. bibl. num. XL., ubi titulus optime cum contextu conveniat, esse priorem recte concludit. Differunt igitur inter se duae recensiones maxime eo, quod in syngrammate catalogus ille episcoporum exstat, in synopsi deest. Atque illam recensionem a Procopio presbytero factam esse in libello ipso legimus, quod haud multo post annum 525, quo Ioannes papa Romanus Constantinopolim venit[1]), factum esse Gelzer existimat. Eundem vero Procopium totum opus composuisse et Dorotheo tribuisse, quemadmodum Cave existimat, Gelzero non verisimile videtur, sed id unum concedi posse illo tempore syngrammatis catalogum compositum esse. Hunc autem esse ortum intra annos 476 et 525, infra, ubi de Metrophane agemus, probare studebimus. Statim autem, postquam catalogus compositus est, a patriarcha Constantinopolitano diptychis ecclesiasticis, quae quin ab initio episcopatus exstiterint non dubitandum est, praepositus videtur esse, sed forma paulo breviore et chronicorum stilo magis accommodata. Haec autem forma brevior in posteriorum temporum catalogis plerisque redit et saepe eadem etiam verba exhibentur, cum invicem vix credibile sit catalogum huius brevioris formae latum esse ut opusculum seorsum compositum. Quod ut exemplo illustretur, catalogorum complurium prima verba afferre liceat.

Catal. Dorothei:[2])

*Ὁ γὰρ Ἀνδρέας ἐπὶ τὸν Πόντον διαπεραιούμενος ἤθελεν τοῖς ἐν τῷ Βυζαντίῳ τὸν Χριστὸν καταγγεῖλαι. Ἀλλ' ἐπειδήπερ Ζεύξιππος ὁ τὸν τόπον τότε ἡγεμονεύων αἱμοβόρος τις ὢν πάντας τοὺς προσβάλλοντας ξένους τῷ Βυζαντίῳ πρότερον διερωτωμένους τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ, εἶθ' οὕτως εἰσιέναι συνεχώρει,*

1) cf. Gelzer. l. c. 2) Chr. pasch. II. p. 132. Quae a Cangii contextu discrepant, debeo cod. Coislin. 205. XI. saec.

SISMANOGLIO



*καὶ ἐαν τις ὡμολόγησεν τὸν Χριστον εἰς δέσμα τοῦτον εὐθὺ καὶ παρ' αὐτὰ δεσμευθέντα τοὺς πόδας τε καὶ χεῖρας θαλλαττοῦσθαι προσέταττεν· διὰ τὴν τοιαύτην οὖν ὠμότητα παραπλεύσας ὁ Ἀνδρέας τὸ Βυζάντιον κατῴκησεν ἐπὶ διέτη χρόνον πλησίον τοῦ Βυζαντίου τῷ Θρᾳκῴῳ μέρει, ὡς ἀπὸ σταδίου ἑνὸς τῆς Ἀργυροπόλεως, ἐκεῖ ἐπισυναγωγὴν τῶν ἐνθέσμων καὶ φιλαλήθων ἀνδρῶν ποιούμενος. Ὡς οὖν περὶ τοὺς δισχιλίους ἐπισυνάξας, τῷ Χριστῷ θυσιαστήριον ἑδράσας ἐν τῇ Ἀργυροπόλει καὶ τὸν Στάχυν ἐπίσκοπον καταστήσας εἰς Σινώπην τοῦ Πόντου μεθίσταται.*

Niceph. tractat.:[1]) *α' Ἀνδρέας ὁ ἀπόστολος ἐν Βυζαντίῳ τὸν λόγον κηρύξας, εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν Ἀργυροπόλει δειμάμενος χειροτονεῖ ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως Στάχυν, οὗ μέμνηται ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*[2])

Vindob. B: *Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν παραγενόμενος καὶ ἐν Βυζαντίῳ καὶ κηρύξας κἀκεῖ τὸν σωτήριον λόγον ἐκκλησίαν τε πιστῶν κἀκεῖ συστησάμενος καὶ εὐκτήριον ἀνεγείρων οἶκον πέραν ἐν τοῖς Θρᾳκῴοις μέρεσι τῆς πόλεως ἐν τῇ καλουμένῃ Ἀργυροπόλει, ἐν ᾧ ναῷ χρόνῳ ὕστερον ἀπετέθη καὶ τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ, ἐκεῖσε χειροτονεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον τῆς πόλεως Στάχυν, ἕνα τῶν ο' ἀποστόλων, οὗ μέμνηται καὶ ὁ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*

Leunclav.:[3]) *Πρῶτος ὁ μέγας ἀπόστολος Ἀνδρέας ἐν αὐτῷ (Βυζαντίῳ) τὸν λόγον κηρύξας καὶ εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν Ἀργυροπόλει δειμάμενος χειροτονεῖ ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς πόλεως Στάχυν, οὗ μέμνηται ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ.*

Ephraem.:[4])

*Ὁ πρωτόκλητος Ἀνδρέας ἀποστόλων,*
*τῆς εὐσεβείας ἐγκατασπείρων σπόρον*
*τοῖς Ποντικοῖς κλίμασι καὶ Βιθυνίας,*
*ὁδῷ προϊὼν καὶ Βυζαντίδα φθάνει·*
*ἣν φαιδρύνας δόγμασιν ἐνθέου λόγου,*
*Χριστῷ τ' ἀγείρας εὐσεβῶν ἐκκλησίας,*
*εὐκτήριον τεύξας τε τοῖς πιστοῖς δόμον*
*ἐν Χρυσοπόλει τῇ κεκλημένῃ πόλει,*
*ἐπίσκοπον τίθησιν ἐν ταύτῃ Στάχυν,*
*ἕνα μαθητῶν ἑβδομήκοντα λόγου.*

1) Niceph. ed. de Boor, p. 112. 2) Verba *οὗ μέμνηται κτλ.* neque in Dorothei catalogo insunt neque in diptychis exstitisse videntur, sed ab aliquo editore catalogi addita esse et inde ab aliis recepta existimo. 3) Band. l. c. I. p. 171 V. 201 P. 4) vv. 9565—9574.

## § 4. De fontibus reliquorum catalogorum.

Postquam Dorothei opusculum mutata forma in fastos episcoporum genuinos receptum et ita unum fastorum corpus effectum est, ex hoc fonte complures hauserunt, qui postea patriarcharum catalogos ediderunt. Hos autem non omnes fastos ipsos inspexisse, sed nonnullos antecessorum catalogis receptis episcopos suorum tantum temporum addidisse consentaneum est. Cum autem catalogi imprimis tertii generis in universum inter se simillimi in singulis rebus saepenumero et maxime in annorum numeris inter se discrepent, ita ut ex his quidquam concludere non liceat, nisi alia praesto sunt connexus alicuius argumenta, vix fieri potest, ut pro certo affirmemus, quo quisque auctorum fonte usus sit et quibus partibus variis temporibus compositis singuli catalogi constent. Quae tamen et de tertii generis catalogis maxime ex vitiis in iis comparentibus suspicari licet et de ceteris paulo certius proferri possunt, nunc sequantur.

Ac primum quidem de fonte catalogi codicis Claromontani nihil habeo, quod pro certo affirmem, sed eum ex uberiore aliquo catalogo, qui tertio generi adnumerandus erat, exscriptum esse suspicor.

Deinde de catalogo chronographii compendiarii nuper egit Henricus Gelzer. Postquam enim Alfredus de Gutschmid in notis suis ad chronographium compendiarium a Schoenio exhibitis in catalogis patriarcharum Alexandrinorum Antiochenorum Constantinopolitanorum vestigia esse auctoris alicuius monophysitici catalogumque monophysiticum desinere in Dioscorum alterum Alexandrinum animadvertit, Gelzer catalogorum partes monophysiticas desumptas esse e Zachariae Mitylenensis historia ecclesiastica Graece scripta probavit, quam intra annos 517 et 519 conclusam esse cum Landio existimat.[1]) Zachariam autem fonte priorum temporum Ioanne Diacrinomeno usum esse putat, quem historiam suam ecclesiasticam circa annum 513 conclusisse verisimile sit. Si haec ita se habent, patriarchas usque ad Macedonium alterum debemus Ioanni Diacrinomeno, deinde Zacharias Timotheum fortasse addidit, reliqui autem a continuatoribus Constantinopolitanis subiuncti sunt. Nam catalogum ex chronico Constantinopolitano desumptum esse recte existimat Alfredus de Gutschmid, cui etiam dicenti numeris annorum in fine omissis catalogum

1) Zeitschrift für wissenschaftl. Theol. ed. D. A. Hilgenfeld. Jahrg. XXVI. Heft 4. p. 505 sqq.

SISMANOGLIO



sub Nicephoro scriptum et postea demum ad Methodii finem continuatum esse ostendi assentior. Quod autem hic factum est, ut complures auctores catalogum qui nunc exstat composuerint et ad sua quisque tempora usque episcopos addiderit, plerisque catalogis contigisse existimandum est.

Quin ex fastis ipsis hauserit Nicephorus, propterea non dubium videtur, quod cum ipse patriarcha esset facilem ad fastos aditum eum habuisse apparet. Sed alium catalogum copiosius scriptum iam tum exstitisse ex eo concludendum est[1]), quod paulo post Nicephori mortem additamenta illa, de quibus iam supra dictum est[2]), Hierosolymis facta sunt.

Quod attinet ad catalogum Vindobonensem B, cum vel obiter opusculum inspiciens animadvertas duos ultimos episcopos, Ioannem Xiphilinum et Cosmam Hierosolymitanum et praecipue Ioannem, tam copiose tractatos esse, ut ratio horum tractatorum maxime diversa sit ab aliis, quoniam in fine catalogi positi sunt, facillime concluditur auctorem per horum patriacharum tempora vixisse et cum is qui Cosmae suffectus est patriarcha non nominetur, statim post Cosmae resignationem opusculum suum edidisse. Ceterum non ab uno auctore catalogum confectum esse suspicatus sim ex eius titulo, ubi haec verba exstant: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ' ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.* Hunc titulum duabus ex partibus constare apparet et episcopos dividi in eos quos Dorotheus enumeravit, et in eos, quos post eius mortem alius auctor anonymus addidit. Iam quaeramus, ubi prior auctor finierit. Legimus autem in catalogo inter Nicolai I. (906—925) duo regiminis spatia sede eum depulsum fuisse per quinque annos et menses quattuor, qui autem eum hoc tempore secutus sit, auctor narrare omittit. In aliis autem catalogis Nicolao tum suffectus esse traditur Euthymius. Cum autem Euthymii nomen a Nicolao e sacris diptychis erasum postea demum sub Polyeucto patriarcha, sub quo Nicolaïtarum et Euthymianorum reliquiae in concordiam rediere, restitutum esse sciamus[3]), sequitur, ut auctor catalogi exemplar exscripserit, quod temporibus quinque episcoporum inde a Nicolao ad Polyeuctum usque (ca. 925—956) secundum diptycha fortasse compositum erat. Cum praeterea in catalogo de ipso Nicolao pluribus narretur, eum in fine

1) Hunc catalogum in stemmate indicamus littera X. 2) p. 267.
3) Cf. Lequien, Or. christ. I. p. 250 sqq.

quondam positum fuisse verisimile est. Invenit igitur auctor catalogi, ut nunc exstat, catalogum episcopos inde a Stachy ad Nicolaum usque Mysticum continentem, qui ab auctore, quod seriem illam commenticiam recepit, quae iamdudum S. Dorothei auctoritate sancita erat, totus ei attributus et calci eius opusculi affixus est. Huic catalogo auctor noster episcopos addidit inde a Stephano, qui Nicolaum secutus est, ad suum tempus usque, quam continuationem his verbis indicat: *οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν.*

Catalogum Vindobonensem B multis locis cum A convenire iam supra dixi.[1]) Atque cum in A patriarchae enumerentur usque ad Ioannem Xiphilinum, in inscriptione seriem ad Nicolaum usque deduci legimus et eadem manus ad Nicolaum Chrysobergem scripsit, inde a quo alia manus episcopos ad Ioannem usque Xiphilinum addidit. Cum in A autem de Nicolao Mystico eadem fere atque in B afferantur, quare in fine quondam eum positum fuisse putaverim, et ibidem Euthymius omissus sit, tres auctores catalogi A erui posse existimo et a primo catalogum ad Nicolaum Mysticum, ab altero ad Nicolaum Chrysobergem, a tertio ad Ioannem usque Xiphilinum conscriptum esse, primum autem catalogum eundem esse, quo secundus auctor catalogi B usus sit.

Utrum Nicephori Callisti catalogus e diptychis ipsis ecclesiasticis haustus sit an aliunde in medio relinquam. Ceterum ordo et nomina patriarcharum in catalogis Nicephori duobus, Vindob. A et B, Nicephori Callisti optime inter se congruunt.[2])

Catalogos autem, quos exhibent Leunclavius Matthaeus Cigala Philippus Cyprius arctius inter se cohaerere existimo. Ut enim omittam et errores, quos multos per se quisque admisit, et commutationes, quae consulto factae sunt, e. g. ubi alius aliud vel addit vel omittit, in tribus catalogis vitia inveniuntur communia, quae fortuito orta esse putare vix licet. Ac primum quidem complurium episcoporum nomina corrupta sunt. Legimus enim apud Leunclavium: *Ἀθηνογένης* pro *Ἀθηνόδωρος*, *Κυριακὸς* pro *Κυριλλιανός*, *Τράτος* pro *Τίτος*, *Δομετιανὸς* pro *Δομέτιος*, apud Cigalam: *Ἀθηνογένης, Κυριακός, Τάρατος ὁ καὶ Τῖτος, Δομετιανός*, apud Philippum Cyprium: *Ἀθηνογένης, Κυριακός, Τάρατος ὁ Κιτήτης.*[3]) Deinde apud Neophytum, Constantinum

1) p. 269. 2) Errore apud Nic. Call. Acacius bis positus est et omissus Constantinus Lichudes. 3) *Δομετιανὸς* correxit in *Δομέτιος*.



Chliarenum, Lucam Chrysobergem omnes exhibent annorum lacunam. Denique numeri annorum, qui a ceteris catalogis saepe differunt, plerumque ita consentiunt, ut inter se catalogos cohaerere apertum sit. Ac Leunclavii catalogus desinit in Iosepho abbate Galesii, duo autem reliqui catalogi episcopos ad auctorum tempus usque deducunt. In chronico autem Philippi Cyprii error in ordine episcoporum est gravissimus. Postquam enim auctor restitutionem Iosephi abbatis Galesii et sequentes episcopos Gregorium, Athanasium, Ioannem, Athanasium iterum episcopum, Niphonem commemoravit, subito transit ad Esaïam, in cuius annis captam a Turcis ponit Constantinopolim, nec minus quam quattuordecim episcopos omittit, quos cognoscere licet ex catalogo codicis Claromontani et Phrantzae historia. Hunc errorem, quem Blancardus Philippi Cyprii editor animadvertisse non videtur, primus annotavit illumque nec minus Philippum verbis acerbis castigavit Henricus Hilarius.[1]) Haec eadem autem lacuna exstat apud Matthaeum Cigalam. Praeterea autem inde ab Esaïa verba catalogorum ita consentiunt, ut nullo modo dubitandum sit, quin ex eodem fonte fluxerint, ex catalogo scilicet lingua Graeca vulgari composito, qui patriarchas inde a capta urbe exhibuit. Ac rem

1) Post Hilarium vero lacunam animadvertit Bandurius, qui dicit (l. c. I. praef. p. XV V. XI P.): Quam vero imperfecti sint, inquit, catalogi patriarcharum Constantinopolitanorum editi a Matthaeo Cigala et Filippo Cyprio et maxime post Athanasium ad captam usque a Turcis urbem, in commentariis nostris monuimus. — In his autem commentariis, qui continentur tom. II. lib. VIII. Imperii Orientalis, Nicephori Callisti secutus catalogum de singulis patriarchis agit pluribus. Ubi vero Nicephori catalogus desiit, inde a Iosepho usque ad urbem a Turcis captam patriarchas affert ex Georgii Phrantzae historia. Hucusque cum ei propositum fuerit res Constantinopolitanas persequi, de reliquis, qui apud Matthaeum Cigalam et Philippum Cyprium inveniuntur patriarchis non agit in commentariis, sed quemlibet lectorem hos catalogos conferre posse dicit, quantum ad seriem patriarcharum, qui post captam urbem sederint, cum historia patriarcharum Constantinopolitanorum Emanuelis Malaxi in Turcograecia Crusii, quae desinat in annum 1577. Sed cum ultima folia typis ederentur, obtulit ei abbas Eusebius Renaudotius catalogum patriarcharum nou multo ante sibi Constantinopoli missum, qui descriptus fuit ex codice ecclesiae Constantinopolitanae patriarchalis et seriem patriarcharum exhibet ab ao. 1594 ad annum 1702. Hunc etiam catalogum, ut opus usque ad sua tempora absolutum fieret, ultimo loco adiecit. — Cum horum temporum patriarchis nihil nobis negotii est, sed priorum tantum chronologiam tractare in animo habemus. Ceterum idem Bandurius integram de patriarchis Constantinopolitanis historiam texere sibi proposuit, sed morte videtur impeditus esse, quominus eam conficeret.

ita se habere existimo. Matthaeus Cigala primum Leunclavii catalogo usus est et deinde codice aliquo, in quo lacuna illa fuit magna quemque patriarchas continuisse verisimile est usque ad urbem a Turcis captam.[1]) Idem autem, cum saepe numeros habeat qui apud Leunclavium desunt, hos de suo fortasse addidit, praeterea autem catalogo illo usus est vulgari lingua Graeca composito continenti patriarchas a capta urbe ad suum tempus usque. Philippus denique Cyprius in manibus habuit Leunclavii et Matthaei Cigalae libros et fortasse ipsos codices quibus hic usus est, in his catalogum illum recentem.[2]) Multos autem errores a singulis commissos et catalogos sine magna diligentia compositos esse neminem fugere existimo.

Quomodo autem catalogi Leunclavii Matthaei Cigalae Philippi Cyprii cum ceteris, de quibus diximus, cohaereant, pro certe affirmare vix ausus sim. Neque tamen tacendum est primum in catalogo Nicephori tractato *Κυριακὸς* haberi pro *Κυριλλιανός*, quam formam etiam in illis tribus catalogis exstare vidimus. Si quis autem propterea statuet catalogos illos tres cum hoc cohaerere et in eum catalogum, quo Leunclavius et post eum Matthaeus Cigala usus est quique fortasse a compluribus continuatoribus confectus erat[3]), reliqua illa nominum et rerum vitia irrepsisse, ei non adversabor. Catalogorum deinde hoc stemma habemus:




1) In stemmate appellatur V. 2) Hunc in stemmate indicamus signo Z. 3) Significatur in stemmate littera Y.



Restat nunc, ut dicamus de iis catalogis quarti generis, de quibus supra pluribus egimus, et de Ephraemii catalogo, quos ita inter se cohaerere, ut illi ex Ephraemii catalogo hausti sint, duobus argumentis me probare posse spero. Primum enim in iis saepe eadem episcoporum epitheta inveniuntur.[1]) Deinde autem Ephraemii catalogus desinit in Esaïam et in eundem catalogus Monacensis: Labbei autem et Langi catalogi usque ad Gerasimum, Esaïae antecessorem, eundem textum exhibent, deinde inter se dissentiunt. Quae cum ita sint, ab aliquo auctore Ephraemii catalogum excerptum et postea a duobus aliis, qui eodem fere tempore fuerunt episcopos ad sua usque tempora adiunctos esse verisimile est. Ephraemium autem in compositione carminis sui catalogum aliquem tertii generis adhibuisse nemo, qui illud cum his comparaverit, infitiabitur.[2])

1) Locos collectos afferre mihi liceat:

| Ephraem. ed. Bonn. p. 383 sqq. | Labbei protr. p. 18 sq. V. 35 sq. P. |
|---|---|
| v. 9617. *ὀρθοδοξίας στῦλος Παῦλος* | v. 4. *εὐσεβῶν στύλος Παῦλος* |
| 9640. *ἄδοξον Εὐδόξιον Ἀρείου φίλον* | 7. *ἄδοξος Εὐδόξιος Ἄρειος νέος* |
| 9655. *ὁ γρήγορος νοῦς* | 9. *ὁ Γρηγόριος νοῦς* (*ὁ γρήγορος νοῦς* Lang.) |
| 9670. *στόμα τὸ χρυσοῦν ἡ θεόσδοτος χάρις* | 10. *τὸ χρύσεον χάρισμα τοῦ Χρυσοστόμου* |
| 9682. *γηραιὸς Ἀρσάκιος* | 11. *γέρων ὁ Ἀρσάκιος* |
| 9731. *Γεννάδιος ἀνὴρ γεννάδας* | 15. *ὁ Γεννάδιος . . . γεννάδας* |
| 9763. *Τιμόθεον ἄτιμον* | 17. *Τιμόθεος ἄτιμος* |
| 9897. *θεῖος Γερμανός* | 30. *θεῖος Γερμανός* |
| 10113. *Εὐστράτιος Γαριδᾶς θέσιν* | 48. *Εὐστράτιος Γαριδᾶς θέσιν* |
| 10120. *θεῷ προβληθεὶς Νικόλαος ἀξίως* | 49. *χάρις θεοπρόβλητος ἡ Νικολάου* |
| 10230. *ἐφ' οὗ παρεστήσαντο Λατῖνοι πόλιν* | 59. *ἐφ' οὗ πόλις ἔκλινε Λατίνοις κάραν* |
| 10286. *Νικηφόρος πρόεδρος ὢν Ἐφεσίων* | 66. *τῆς Ἐφέσου πρόεδρος ὢν ὁ Νικηφόρος* (*ὢν* deest ap. Lang.) |
| 10291. *Ἀρσένιος πρώτιστος* | 67. *Ἀρσένιος πρώτιστος* (*πρ. Ἀρσ.* ap. Lang.) |
| 10297. *τῆς Ἀδριανοῦ Γερμανὸς ἀρχιθύτης* | 68. *τῆς Ἀδριανοῦ Γερμανὸς ἀρχιθύτης* |
| 10300. *Ἰωσήφ, ὀρθοδοξίας στῦλος* | 69. *Ἰωσήφ, ὁμολογίας στύλος* |
| 10325. 10326. *Ἰωάννης Βέκκος . . . . συμφρονῶν τοῖς Λατίνοις* | 70. *Λατινόφρων Ιωάννης ὁ Βέκκος* |
| 10334. *Γρηγόριος Κυπρόθεν* | 71. *Γρηγόριος Κυπρόθεν* |
| 10348. 10350. *Ἀθανάσιος . . . . . . γεννάδας ἀνήρ.* | 72. *Ἀθανάσιος ἀνὴρ γεννάδας.* |

2) Cf. in p. 275 initium Ephr. catalogi cum ceteris.

Haec habui quae de catalogorum fontibus dicerem. Sequuntur nunc in altera parte huius libelli catalogi illi duo, de quibus supra diximus in pag. 269.

---

## II. Catalogus ex Aug. Bibl. Caes. Vind. cod. ms. Theol. Graec. N. CCCII. ol. 34. desumptus.

Fol. 356 r:

*Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἱεραρχῶν ἤτοι ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ πατριαρχῶν ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μέχρι τοῦ Νικολάου.*

*Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος ἀπόστολος παραγενόμενος ἐν τῷ Βυζαντίῳ καὶ κηρύξας τὸν σωτήριον λόγον, ἐκκλησίαν πιστῶν συστησάμενος καὶ εὐκτήριον οἶκον πέραν ἐν τῇ νῦν λεγομένῃ Ἀργυροπόλει ἀνεγείρας, ἐν ᾧ ὕστερον ἀπετέθη τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀδριανοῦ, χειροτονεῖ ἐπίσκοπον*

*α΄. Στάχυν τῆς αὐτῆς πόλεως πρῶτον, οὗ καὶ μέμνηται Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ, ὃς ἐπεσκόπησεν ἔτη ιϛ΄.*

*β΄. Ὀνήσιμος ἔτη ιδ΄.*

*γ. Πολύκαρπος ἔτη ιη΄.*

*δ΄. Πλούταρχος ἔτη ιϛ΄.*

*ε΄. Σεδεκίων ἔτη θ΄.*

*ϛ΄. Διογένης ἔτη ιε΄.*

*ζ΄. Ἐλευθέριος ἔτη ιζ΄.*

Catalogus ex eiusd. Bibl. cod. ms. Theol. Graec. N. XL. ol. 77. exscriptus.

Fol. 266 v:

1. Inscriptio: *Τοῦ αὐτοῦ μακαρίου Δωροθέου τίνες ἐπίσκοποι τοῦ Βυζαντίου κατέστησαν ἀπ᾽ ἀρχῆς καὶ εἰς δεῦρο. Οἱ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ᾽ ἡμῶν.*

5. *ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν παρ. καὶ ἐν Βυζ.*

6. *κηρ. κἀκεῖ τὸν. — ἐκκλ. τε πιστ. κἀκεῖ συστ. καὶ εὐκτ. ἀνεγείρων οἶκον πέραν ἐν τοῖς Θρᾳκῴοις μέρεσι τῆς πόλεως ἐν τῇ καλουμένῃ Ἀ., ἐν ᾧ ναῷ χρόνῳ ὕστ. ἀπ. καὶ.*

9. *ἐκεῖσε χειρ. πρῶτον ἐπ. τῆς πόλεως Στ., ἕνα τῶν ο΄ ἀποστόλων, οὗ μέμν. καὶ ὁ Π.*

11. *ὃς δὴ ἐπ.*

12. *Ὁ. μετὰ τοῦτον δεύτερος καταστὰς ἐπεσκόπησεν ἔ. ιδ΄.*



*η΄. Φίληξ ἔτη ε΄.*

*θ΄. Πολύκαρπος ἄλλος ἔτη ιζ΄.*

*Οὗτοι πάντες ἐν τῷ εἰρημένῳ εὐκτηρίῳ τῷ ἐν Ἀργυροπόλει τὰς συνάξεις ἐποιοῦντο διὰ τοὺς γινομένους διωγμοὺς ὑπὸ τῶν ἀπίστων.*

*ι΄. Ἀθηνόδωρος ἔτη δ΄.*

*Οὗτος ἕτερον εὐκτήριον κτίσας ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Ἐλαία τὸ μετὰ ταῦτα ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως περιφανῶς οἰκοδομηθὲν ἐκεῖ τὰς συνάξεις σὺν τοῖς λοιποῖς ἐπετέλει.*

*ια΄. Εὐζώϊος ἔτη ϛ΄.*

*ιβ΄. Λαυρέντιος ἔτη ια΄ μῆνας ϛ΄.*

*ιγ΄. Ἀλύπιος ἔτη ιγ΄ μῆνας ϛ΄.*

*ιδ΄. Περτίναξ ὑπατικὸς καὶ συγκλητικὸς Ῥώμης ἔτη ιθ΄.*

*Οὗτος ἑτέραν ἐκκλησίαν ἀνίστησιν ἐν τῷ παραθαλασσίῳ τόπῳ τῷ ἐπιλεγομένῳ Συκαί.*

*ιε΄. Ὀλυμπιανὸς ἔτη ια΄.*

*ιϛ΄. Μάρκος ἔτη ιγ΄.*

*ιζ΄. Κυριλλιανὸς ἔτη ιϛ΄.*

*ιη΄. Καστῖνος ἔτη ζ΄.*

*Οὗτος ἐν αὐτῷ τῷ Βυζαντίῳ ἐν τοποθεσίᾳ ἐπιλεγομένῃ Πετρίῳ εὐκτήριον τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας ἀνήγειρεν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν μαρτυρησάσης.*

*ιθ΄. Τῖτος μετ᾽ ἐκεῖνον ἔτη λε΄ μῆνας ϛ΄.*

2. *ἄλλος* deest.

4. *γιν. κατ᾽ αὐτῶν ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἀπίστων συνεχεῖς διωγμούς. Εἶτα ἐπὶ τούτοις*

6. *Ἀ. ἐπίσκοπος καταστὰς ἕτ. εὐκτ. οἶκον ἔκτισεν ἐν τοπ. τῇ λεγομένῃ Ἐ. τὸν καὶ χρόνοις ὕστερον ὑπὸ τοῦ ἐν ἁγίοις Κ . . . . . ἀνοικοδομηθέντα κἀκεῖσε τ. σ. ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. δ΄.*

11. *Ε. μετὰ τοῦτον ἔ. ϛ΄.*

13. *μῆνας ϛ΄* deest.

14. *Π. μετὰ τούτους ὑπατικὸς μὲν ὑπάρχων τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου, ἐπίσκοπος δὲ Βυζαντίου καταστὰς ἑτέραν αὖθις αὐτὸς ἐκκλ. ἀν., ἐγγυτέρω τῆς πόλεως ἐν . . . τόπῳ ἐπιλεγ. Συκαῖς, Εἰρήνην τὸν ναὸν προσαγορεύσας, κἀκεῖσε τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ιθ΄.*

20. *Καστῖνος μετὰ τούτους ἐπίσκοπος γεγονὼς Βυζαντίου* (fol. 267 r) *μετέθηκε τὴν ἐπισκοπὴν ἀπὸ τοῦ ἀντιπέραν μέρους ἐν αὐτῇ τῇ πόλει εὐκτήριον οἶκον πρῶτον ἀνοικοδομήσας ἔνδον αὐτῆς ἐπ᾽ ὀνόματι τῆς ἁγ. μ. Εὐφ. κατ᾽ ἐκ. . . . . μαρτ. ἐν αὐτῇ τῇ τοποθεσίᾳ τῇ ἐπιλεγομένῃ μέχρι καὶ νῦν Πετρίῳ κἀντεῦθεν τὰς συνάξεις ἐπιτελῶν ἐπεσκόπησεν ἔ. ζ΄.*

24. *ἔτη λϛ΄. μῆνας ϛ΄* deest.

κ'. Δομέτιος ἀδελφος Πρόβου βασιλέως ἔτη κδ' μῆνας ϛ'.

κα'. Πρόβος υἱὸς τοῦ αὐτοῦ Δομετίου ἔτη ιβ'.

Ὅσοι ἀπὸ Μητροφάνους.

κβ'. Μητροφάνης, υἱὸς μὲν τοῦ προγεγραμμένου ἐπισκόπου Δομετίου, ἀδελφὸς δὲ τοῦ μετὰ τὸν Δομέτιον ἐπισκοπήσαντος Πρόβου ἔτη ι'. Ἐπὶ τούτου ὁ ἐν ἁγίοις Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς παρεγένετο ἐν Βυζαντίῳ διὰ τὸν πρὸς Λικίννιον πόλεμον.

(fol. 356 v) κγ'. Ἀλέξανδρος ἔτη κγ'.

κδ'. Παῦλος διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κπόλεως ἔτη γ'.

Τούτου ἐξωσθέντος ὑπὸ Κωνσταντίου

κε'. Εὐσέβιος ἀρειανός, πρότερον γενόμενος ἐπίσκοπος Βηρυτοῦ, εἶτα μετατεθεὶς εἰς Νικομήδειαν, πάλιν μετῆλθεν ἐν ΚΠ καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ιβ'. Εἶτα μετὰ θάνατον αὐτοῦ πάλιν ἀποκαθίσταται ὁ αὐτὸς

Παῦλος καὶ παραχρῆμα ἐκβάλλεται καὶ ἐν Κουκουσῷ ἐξορίζεται κἀκεῖσε ὑπὸ τῶν δυσσεβῶν ἀρειανῶν ἀναιρεῖται. Χειροτονεῖται δὲ

κϛ'. Μακεδόνιος πρεσβύτερος ὁ πνευματομάχος ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἐπεσκόπησεν ἔτη ι'. Τούτου καθαιρεθέντος καὶ ἐκβληθέντος ὑπὸ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως

κζ'. Εὐδόξιος ἀρειανὸς μετατεθεὶς πρότερον ἀπὸ Γερμα-

1. μῆνας ϛ' deest.

3. Ὅ. ἀ. Μ. desunt.

4. Μ. υἱὸς μὲν καὶ αὐτὸς τοῦ αὐτοῦ Δομετίου, ἀ. δὲ τοῦ Πρόβου τοῦ ἐπισκοπήσαντος καὶ ἀδελφόπαις Πρόβου τοῦ βασιλέως, ἐπεσκόπησεν καὶ οὗτος τοῦ Βυζαντίου ἔ. ι'. Ἐπὶ τούτου τοῦ Μητροφάνους ὁ . . . . Κ. ὁ βασ.

9. Ἀ. μετὰ τοῦτον ἐπεσκόπησε τῆς ΚΠ ἔ. κγ', μακρόβιος γεγονὼς καὶ ζήσας τὰ πάντα ἔτη ϟζ'.

